

Digitaliseret af | Digitised by



**DET KGL.
BIBLIOTEK**

Royal Danish Library

Forfatter(e) | Author(s):

Titel | Title:

Udgivet år og sted | Publication time and place:

Fysiske størrelse | Physical extent:

Paulli, Jacob Henrik.; Jac. Henr. Paulli.

Novis nuptis Friderico Bræmero et Susannæ
Moths feliciter acclamat

Hafniæ : typis Georgii Lamprechtii, 1653

[8] s.

DK

Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk altid at kreditere ophavsmanden.

UK

The work is free of copyright. You can copy, change, distribute or present the work, even for commercial purposes, without asking for permission. Always remember to credit the author.



+

NOVIS NUP TIS

DN. FRIDERICO
BRÆMERO

ET

SUSANNÆ *Woths*

FELICITER ACCLAMAT

JAC. HENR. S. F. PAULLI.

AN. ∞ IOC LIII.

III. KAL. FEBR.

Hafniæ, Typis Georgii Lamprechtii.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK



130019153305

NOVIS NOTI
DR. FRIDERIC
BRAMERO

ET

SUSANNE

ELICITER ACCLAMAT

JAC. HEYER & F. P. WOLFF

AN. OO. 100 LIII

III. K. A. L. FEBR.

Imprimetur



H. J. J. J. J.

Ent gemmas alii, ferant & aurum
Edoctâ artificum manu expoli-
tum,
Seu quæ sunt magè digniora dona
Quæis, BRÆMERE, Tuas student jugales
Exornare Faces, Viri Celebres:
Mihi, (dum comes est Patrima Virgo.)
Fas, quæ Sicelides suis ministrant
Offerre, & Thalamo Tuo secundo
Alternò pede, si placet, *Phaleucum*
Sacrare exiguum; & secunda vota
Optare: hæc Tibi, SPONSE, dona dono.

Magnum *Munifici & Boni Datoris*
Est munus, Mediocritate in altâ,
Cui, vitæ spatium, est datum, per omne,
Vixisse atq; vigere pace in almâ:
Hic tecti caret obsoletioris

Spurcis sordibus, Huncq; pertimenda
Haut Martis rigidi movent pericla.

 Multò sed magis, à *Parente summo*
Longè & nobilius bonum paratum est,
Qvæ in corde, timor, fideli, amorq;
Versatur, Domini polum regentis:
Nam, qvòd splendidius beatiusve,
Seu posci ore potest, petive votis,
Optariq; animo bonum? pudicam
Qvam si qvis thalamo suo puellam,
Uxorem capit elegantiozem.
Hic fortis dubiæ feras procellas,
(Qvas nostræ rota volvit ipsa vitæ)
Novit ferre animo sereniore,
Dum fidam sociam labore in omni
Adjunctam sibi habet, levare curas
Ipsi qvæ potis est, molestiasq;
Qvâ nil utilius, beatiusve,
Qvâ nil nobilius, magisq; pulchrum.

Hæc

Hæc castos decorat Lares honore,
Hæc castum decorat thorum jugalem
Hæc Viro decus est domi, voluptas
Hæc ipsi in thalamo, foris corona.

Felix cûi mediocris ergo, vitæ, est
In promptu ratio, suæ tuendæ;
Sed felicior hic tamen putatur,
Præstantem probitate cûi puellam
Spondet connubiô DEUS jugali.

Qvem, BRÆMERE, ego nunc beatiorem
Te dicam? bona cûi omnia hæc supersunt,
En! vitæ Tibi temperata cuncta,
En! pectus Pietate quod refertum,
En! Uxor venit, en! Thorum in jugalem,
Castis moribus, & pudica Virgo.
Vah! quam forma decens! ut ora certant,
Ostro purpureo! nive ut lacerti
Molles, lacteoli, venustuliq;!
Tales Tyndaridem tulisse quondam

Aut

Aut & Penelopen probat vetustas;
Qualis gratia lucet ex ocellis!
Et formæ decus elegantioris!
Et morum gravitas venusta, talem
Non tota Urbs similem potest fateri.

Gaude, ô SPONSE, age, SPONSE, digne

SPONSA,

Novis macte Tuis, age, esto Tedis,
Nec Tu jam pretiosiora dona,
Nec Tu gaudia quære latiora.

Gaude, ô SPONSA, age, SPONSA, digna

SPONSO,

Etlæta ingredi in domum Mariti,
Unum specta oculis Tuis, & unum Hunc
Observa, & niveis tenens lacertis
Facundo recrea lepore linguæ,
Sic, quantum est hominum venustiorum,
Ut & coeruleo Creato ponto,
Quæ regit Paphii Cnidiq; gentes

Sua-

Suadet, annuit & tener Cupido,
Ac augens hominum genus Diana.

O Par nobile! Conjuges beati!
Æstivis veluti ignibus perurit
Fervens agricolæ arva aprica Phœbus,
Sic vestras Amor ustulet medullas;
Vobis eveniant tot auspicata,
Conferente DEO, quòt unda pisces,
Aves Sylva gerit, ferasq; tellus;
Sit luctus procul, exulentq; vestra
Lis & rixa domo, fames, egestas,
Atq; Orco genitus parente languor;
Grata Pax Thalamis adesto vestris,
Vobis omne ut opus domi forisq;
Succedat benè, prosperè atq; dextrè.
Nascatur referens *Puer Parentem,*
Nascatur referens *Puella Matrem*
In stirpem bona fama sic abibit.
Magnus ille DEUS, potens JEHOVA.

Prie

Primævus thalami jugalis Author
Ut tandem placideq; molliterq;
Evincas Pylîi senis senectam,
SPONSE, & SPONSA, Tibi pares ut annos
Concedat, precor, ut uterq; Vestrum
Longævus videat suos Nepotes,
Et Neptes variis vigere donis
Fortunæq;ve, Animiq;ve, Corporisq;ve,
Tali ac prosperitate perbeetur.
Tantum Carminis est, meiq; Voti.

